



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen  
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark  
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1857**

XL. Die Markgrafen Otto, Johann und Woldemar überlassen dem Kloster  
Chorin die zwischen Chorin und Finow gelegene Heide, theils  
verkaufsweise, theils zur Erfüllung der letztwilligen Schenkung des ...

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54745](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54745)

XL. Die Markgrafen Otto, Johann und Woldemar überlassen dem Kloster Chorin die zwischen Chorin und Finow gelegene Heide, theils verkaufsweise, theils zur Erfüllung der letztwilligen Schenkung des Markgrafen Conrad, am 16. Dezember 1304.

In nomine Sancte et individue Trinitatis amen. Otto, Johannes et Woldemarus, dei gratia Marchiones Brandenburg et de Landesberch, omnibus in perpetuum. Ne ea, que aguntur in tempore, simul evanescant cum tempore, solent scripturarum testimonio ad futurorum memoriam perhennari. Ea propter nos pia ducti devotione ecclesie sancte Marie in Chorin ac fratribus ibidem Deo famulantibus Mericam sitam inter ipsum Claustrum et agros cultos Vinauie, cum prato ipsi Merice adherenti, quod protenditur usque in ipsum alueum aque Vinauie, ob remissionem peccaminum nostrorum donauimus, cum omni juris integritate pacifice et absque omni injuria proprietatis tytulo perpetuis temporibus possidendam. Renunciantes omni juri, quod in predicta Merica et prato memorato usque ad hec tempora dignoscimur habuisse, Ita quod in predictis bonis nichil juris nos aut Aduocati nostri vel Bodelli nobis ammodo poterimus vendicare, Summa tamen quadam pecunie videlicet Sexcentarum et quinquaginta marcarum nobis data a fratribus memoratis, quarum trecentas et quinquaginta marcas in parata nobis perfoluerunt pecunia, trecentas vero marcas ipsis remisimus in remedium anime cari nostri domini Conradi Marchionis pro bonis, que ipse in extremis agens dictis fratribus Chorinensibus in memoriam testamenti sui perpetuam liberaliter assignauit. Hujus autem Merice termini incipiunt ad cumulum terre et lapidum, ubi concurrunt agri ville Lypensis et agri curie Plawe ubi quondam steterat magna pinus pro finali signo antique donationis. Ab eodem vero cumulo sursum usque ad viam Byzdal ad cumulum terre et lapidum ubi conueniunt agri curie Plawe et Merica. Ab eodem cumulo eadem via sursum usque ad quercum lapidibus et terra cumulatam. Inde ad aluum in valle juxta paludem terra et lapidibus consignatam. Inde ad quercum terra et lapidibus signatam. Inde usque ad viam Vinauie ad terminum angularem juxta magnum lapidem ad quercum cumulatam terra et lapidibus. Inde ad sinistram ad quercum cum tribus ramis circumdatam terra et lapidibus. Inde ad quercum terra et lapidibus cumulatam. Inde ad signum angulare ad quercum signatam terra et lapidibus. Inde ad dextram usque ad pinum terra et lapidibus cumulatam. Inde ad altam pinum in monte signatam terra et lapidibus. Inde ad duas quercus terra et lapidibus cumulatas. Inde ad quercum terra et lapidibus signatam. Item ad quercum signatam terra et lapidibus. Item ad quercum terra et lapidibus cumulatam. Item ad quercum circumdatam terra et lapidibus. Item ad quercum terra et lapidibus consignatam. Item ad quercum signatam terra et lapidibus. Item ad quercum terra et lapidibus. Item ad quercum terra et lapidibus cumulatam. Item ad quercum terra et lapidibus consignatam. Inde ad quercum angularem, circumdatam terra et lapidibus, inde ad sinistram ad quercum in valle, iuxta viam terra et lapidibus cumulatam. Inde ad quercum in decliuo montis circumdatam terra et lapidibus. Inde ad vibicem in palude terra et lapidibus consignatam et sic ulterius per directum procedendo usque in alueum aque Vinoue contra decliuum montis ex opposito jacentis et pars ad dextram iacens pertinet ecclesie Chorinensi, In sinistra vero dominis remanebit. Vt igitur hec nostra donatio et predictorum fratrum emptio inuolabiliter et perhenniter inconuulsa conseruetur, presentem paginam nostrorum sigillorum munimine fecimus roborari, adhibitis nichilominus testibus ydoneis, quorum nomina subjunguntur, Frater Johannes, Abbas, ejusdem loci, Arnoldus, prior, Brunow, quondam Abbas, Johannes, Camerarius, dominus

Heinricus de Stegeliz, dapifer, Nicolaus de Buch et ipse dapifer, Johannes de Blankenburch, Ludolph et Wedego de Wedele, Zabellus Badelo milites et quam plures alii fide digni. Acta sunt hec anno domini M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. IV<sup>o</sup>. XVII<sup>o</sup>. Kal. Januarii. Datum in Grimmiz, castello nostro, anno et die prenotatis.

Aus dem nach dem Original des R. Geh. Staatsarchives berichtigten Abdrucke in Gerdens Cod. II, 441.

XLl. Die Markgrafen Otto und Woldemar geben dem Kloster Chorin für 8 Hufen in Lichterfelde 9 Hufen in Hertzprung, am 8. October 1305.

In nomine Domini amen. Otto et Woldemarus, dei gratia Brandenburgenses et de Landysberch Marchiones, omnibus in perpetuum. Que geruntur in tempore ne simul cum tempore labantur, perhennari debent testimonio litterarum. Hinc est quod ad notitiam tam presentium quam futurorum volumus peruenire, Quod nos dilectis nobis in Cristo Deo seruientibus fratribus Ordinis Cystericiensis in Chorin proprietatem nouem mansorum in villa Herttysprunge sitorum, in restaurum octo mansorum, quos in villa Litheruelde habuerunt, cum omni juris integritate donauimus pacifice absque ulla injuria perpetuis temporibus possidendam. Renuntiantes omni juri, quod in eisdem usque ad hec tempora dignoscimur habuisse. Ita quod in pretactis mansis dicte ville nichil juris prorsus nos aut Aduocati nostri aut Bodelli nostri nobis poterimus amodo vendicare. Igitur ut horum mansorum permutatio per nos nostrosque successores hereditarios futuris temporibus immutari nequeat aut etiam retractari, presentes literas in testimonium conscribi fecimus et sigillorum nostrorum appensionibus roborari. Hujus rei testes sunt Johannes Romel, Syfridus Smuch, noster Aduocatus, Johannes Grifco, Zabellus Badelo, milites, et quam plures alii fide digni. Datum in Werbellino, per manus Gherardi de Voghedystorp, nostre curie Notarii, Anno domini M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. V<sup>o</sup>., in vigilia beati Dyonisii.

Aus dem nach dem Original des R. Geh. Staatsarchives berichtigten Abdrucke in Gerdens Cod. II, 444.

XLII. Ritter Gottfried von Greiffenberg gründet seine Gedächtnißfeier im Kloster Chorin durch eine demselben in Günthersberg zugewandte Hebung, am 29. März 1306.

Vniuersis Christi fidelibus presentem paginam visuris Dominus Gothfridus, miles, dictus de Griffenberg salutem et fidelitatem firmiter obseruare. Nouerint uniuersi tam presentes quam futuri, Quod ego de pleno consensu heredum meorum, videlicet Johannis, Gothefridi et Arnoldi, contuli monasterio sancte Marie virginis in Chorin duo talenta Brandenburg. monete ad seruitium conuentus in die defunctionis mee, in festo purificationis annis singulis persoluenda. Hec autem talenta duo dabit Johannes dictus Stenhouel de quatuor mansis quos possidet in villa Gunthersberghe et heres suus post eum vel alius quicumque predictos mansos possederit siue ex successione paterna siue tytulo emptionis. Vt autem hec donatio perpetuis temporibus inconuulsa perma-